UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Galeoti Martii Narniensis De Homine Libri Dvo

Galeottus <Martius>

Basileae, 1517

Frons

urn:nbn:de:hbz:466:1-31834

Visual Library

FRONS

FRONS a foratu oculorum (ut ait Varro) dicta a dextra & ſiniſtra temporibus, a ſuperiori capillorum radice. Ab inferiori uero parte ſupercilijs terminata corrugatur in triſtitiam, & in lætitiam dilatatur, & pudorem ſignificat. Perſius, — Frons. / Frons pudorem ſignificat.

Exclamet melicerta periſſe
Frontem de rebus.

Et ob hanc cauſam frontem Genio priſci cõſecrarũt. Frons quoq; de alijs dicitur. Vergilius. — Frons Genio cõſecrata

Fronte ſub aduerſa ſcopulis pendentibus antrũ. Is cui frons eminentior eſt, ita ut a dextra ſiniſtraq; reciſa uideatur, Cilo ſine, h, aſpiratione uocatur, ut ait Feſtus. In medio fere frontis uena quædam recta, quã percuti ut ſanguis effluat in delirio medici iubent. Nam ſi phreneticus, ſanguinis diminutione indiget, periculoſum eſt, brachium manumue incidere, ne delirans ille uenæ ligamentum turbet ac intercidat, ſibiq; ipſi mortis cauſam afferat. Ideo Iuuenalis ut omnino inſanum oſtenderet & furioſum, dicit. — Cilo. / Vena in medio frontis aperiẽda phreneticis.

O medici mediam pertundite uenam.

Huius frontis & in homine prognoſtica ſunt, ut tradunt phyſiologi, & præſertim Trogus, quem allegat Plinius. Is enim ait, frons ubi eſt magna, ſegnem animum ſubeſſe ſignificat, quibus parua mobilem, quibus rotunda iracundũ, uelut hoc ueſtigio tumoris apparente. — Prognoſtica frontis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN